



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Consolatione Ivsto-|||rvm**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3678**

Collectio superiorum, & quantu[m] momenti in sanctè viue[n]do sit,  
obliqua enarratione psalmi primi. Caput VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60369](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60369)

Collectio superiorum, & quantum momenti in sancte viuendo sit, obliqua enarratione psalmi primi. CAPVT VIII.

**O**cognitionem suavitate aeterna ac diuina plenam, quæ expetenda vna est, & quæ profunda atque abditæ sapientiae tuæ Deus omnipotens patefacit. Viuunt in tenebris omni errore implicati, quorum pectoribus ademptus est spiritus tuus. Verum hac scientia à sede ac solio tuo demissa, viuunt pie mentes, cōiunctæ tibi fædere ac testamento aeterno. Hac scientia cum cœlum terra sive cōderes, præ- Sapien. 10.  
sens aderat, & spiritu sancto tuo è sublimi in hominem demissa est, sed ille hac deferta, in iniustitiam & ignorationem manifestam abs te nefarie defecit, inciditque, in statum eum, qui secum assiduò deferret monumentum insipientie & miseriae sua. At tu Deus errantem in vias rectas deduxisti, & effecisti, ut sanctorum cape-

E s - ret

106 DE CONSOL. IVSTOR.  
ret cognitionem, ac per aerumnas aditus  
ipſi ad tuum regnum fieret. Deductum  
enim per vias tuas seruisti, & mercedem  
ei laborum suorum reddidisti, gloriāq;  
æternam per filij tui IESV CHRISTI  
sanguinem ac mortem conciliasti. Hec  
vberrima merces est iustorum, liberans  
eos gloriose, & in cœlum attollens, tum  
cūm impios indignatio ſæua tua ad ex-  
tremum persequetur. Recordemur ergo,  
in quem finem vtrorumque definiant  
viae, & amplissima Dei luce perfusi, cum  
Dauide statuamus. Etsi omnia plena ma-  
lorum ſint, quibus vniuerſi mortales fata  
li lege vrgeantur, nullam tamen veram  
fœlicitatem ijs vnquam defore, qui volū-  
tates ſuas ab improborum rationibus a-  
uertunt, nec ſe ad illorum consuetudinem  
actiones quæ adiungunt, aut turpitudine  
vitiosorum ſequuntur. Nam quibus cu-  
ræ fit, vt omne ætatis ac vita ſue tempus  
in obſeruatione voluntatis diuinae conſu-  
mant, eos fructiferarum arborum instar,  
qua

qua iuxta fontium riulos consitae sunt,  
vbere pietatis sue prouentu largos fru-  
ctus fundere, sic ut ex illorū virtute, ad ho-  
minum vitam, ueritas summa redundet,  
& secundo rerum omnium euentu, prospe-  
ritus illorum, ceu frondium semper viuen-  
tium, & quæ nullo ventorum impetu de-  
fluant, firmitudo æterna sit. Sed malorū  
longè diuersam rationem esse. Etenim  
calamitatum auram, horum fata ac for-  
tunas, uti puluerem ac stipulam, quæ ven-  
to in desertis vastisq; locis raptatur, celeri-  
ter disjicere, ac fore aliquando diem, quib;  
illi iudicij diuini, ad quod omnes morta-  
les sistentur, iustum seueritatem sustinere  
non poterunt, sed ab cœtu eorum, qui pro-  
pter iustitiam ac fidem in Deum æternis  
bonis affluent, procul semoti erunt. Deum  
enim bonorum virtutem valde amare, at  
malorum vitam execrari extreme, ut illi  
semper beati sint, hi vero pereant, suaquæ  
eos impietas euertat. O discrimin ingens  
bonorum & malorum, quod scriptura

E 6 sancta

sancta crebro commemorat, ad consolandum ac deterendum. & à Davide est ad ductum, ut cùm relaturum vnumquęq; præmij ac pœnæ tantum, quantum fuerit meritus, diuinitus comprobetur, a quo animo & maiore spe viuant boni, malive rò ad meliorem se mentem referant: eo autem contempto, etiam in hac vita impiorum persentiant pœnas, quibus addicendi in perpetuum à morte corporis erunt.

Secundis malorum bonorumque aduersis rebus, quibus rati onibus confirmandus animus, paraphrastica interpretatio, Psalmi 72. CAPVT VIII.

**H**ic ergo diuina iustitia constans & immutabilis est ordo, non fraudatum bonis Deum pios, nec debito supplicio improbos. Confidant ergo omnes, qui seruiunt Domino, ac testimoniose dei confirment. Omnibus quidem proposita est à Deo